



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

IX. Quia Magistra est pœnitentium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

expugnabiles sunt à vitijs. Illa ut *Albertus M. serm. 2. de Assumpt.* Auxiliatrix fortis fidelium contra dæmones. Illa ut *idem in Bibl. Exod. Velum hyacinthinum Exod. 36.* quo velamur à peccatis. Illa ut *Richard. à S. Laur. lib. 1. Pharos luminosa.* Ut *Bernardinus à Busto serm. 2. de Assumpt.* Sol optimus terræ.

9. Quia Magistra est pænitentium.

In Meneis 23. Febr. S. Theophanes ita orat Virginem nostram. Ut ignis columna præfulgens Virgo, atque lucida nubes, me, qui in hujus vitæ solitudine cum viarum erroribus luctor proficiscentem antecede, usque dum ad cælestem hæreditatem pertingam. Quia ut cum *S. Joseph Confessore ibidem 13. Aprilis dicat quisq.* Per malas cogitationes præcipitem lapsus exorsus, in profundum peccatorum descendi, & proinde ex corde intimo gemens te Dominam meam inclamo, da mihi pænitentiae donum cum venia peccatorum, omnes in me palàm obstupefiant abundantis tuæ miserationis exemplum, item viscerum tuorum ad clementiam propendentium sine termino pelagus, thesaurum omni mensura carentem. Nam teste *Richardo à S. Laur. lib. 12. de laud. Virg. Maria est Virga Moysis. Virgâ percussit Moyses aquam fluminis, coram Pharaone, & servis ejus, & versa est aqua in sanguinem. Exod. 7.* Similiter & Maria precibus suis, meritis & exemplis, conversis peccatoribus & maxime dilectoribus suis, quæ citò præterfluunt ut aqua convertit in abominationem & amaritudinem.

Rursus idem lib. 9. ex Gen. 2. Phison circuit terram Hevilath, quod interpretatur vel dolens vel parturiens: Et B. Virgo circuit dolentes, per contritionem ad consolandum eos, maxime parturientes peccata per confessionem. Bonav. spec. cap. 10. Maria est signata per illam *Abigail*, pro qua adducenda cum David nuntios misisset, respondit. *Ecce famula tua sit in ancillam tuam, ut lavet pedes servorum Domini mei.* Per benedictam Ancillam Mariam, quæ tot servi Domini loti sunt, quot fideles ejus suffragijs à peccatis mundati sunt; Ipsa enim tot servorum Domini pedibus aquam obtulit, quot pænitentibus lachrymas compunctionis obtinuit. Obtinuit verò illis etiam qui erant duri ut lapides. *A S. Laur. Richardus lib. 12. de laudibus Virginis.* Hæc Virgo est Virga Moysis per quam fecit signa in Ægypto ut in psalmo quodam dicitur. *Percussit petram & fluxerunt aquæ,* per quam absumpsit dracones magorum. *Abbas Absalon serm. 31.* hoc ipsum. Virga Moysis per quam fecit signa in Ægypto, Maria est: per eam Deus fecit mirabilia in mundo, è quibus unum de maximis est quòd Virga versa in colubrum Dracones Ægyptiorum devoraverit, quia cum de se Christum in similitudinem carnis peccati generavit, omnia crimina, omnes hæreses impiorum, quæ Ægypto hujus mundi illudebant, tū virtute proles, tum exemplo suæ sanctitatis delevit. Notissima est *historia de S. Maria Ægyptiaca,* hæc ab anno duodecimo ætatis corpus suum publicare

publicare non destitit, & ita annos septemdecim transegit. Contigit ut adjungeret se peregrinantibus Jerosolymam ad diem Exaltatæ S. Crucis; sed cum aliquoties ingredi conata fuisset templum, vi occultâ rejecta est semper. Demùm Virginis imagine conspecta sic oravit. O Domina Virgo quæ Deum verum genuisti secundum carnem; scio non esse decens, me adorare imaginem tuam, vel oculis eam contemplari, quæ sum tantis sordibus polluta, quia tamen, ut audivi, effectus est Deus homo, quem ipsa digna genuisti, ut peccatores vocaret ad penitentiam, adjuva me desolatam, & nullum habentem adiutorium, ut ingredi possim Ecclesiam, ac videre & adorare pretiosissimum lignum crucis, firmisimè promitto, quod nunquam carnem meam coinquinabo, sed mox renunciabo sæculo, & omnibus quæ sunt sæculi, & vadam quo præceperis, & viam salutis demonstraveris. Hac oratione finita, sine ulla remora templum ingressa, tum versus imaginem iterum conversa, ita Magistræ Virginis opem imploravit, & doctrinam accepit his verbis. Si Jordanem transieris, illic bonam invenies requiem. Sed amplius oravit Magistram. Domina, Domina mea nè derelinquas neque deferas me, sed jugiter custodias me ubi me vis ire. Profecta trans Jordanem vitam exegit sanctissimè, uti habetur in *secunda Synodo Nicæna act: 4.* Sed veteri historię adjungamus paulò recentiorem, de qua *Brovius ad annum 1260.* Erat in Academia Cantabrigensi in Anglia adolescens Guilelmus Vidius: hic in extasi raptus ad Dei Tribunal, in quo cum objectis satisfacere non posset, sententia mortis æternæ contra illum ferebatur, vertit se ad Virginem & ope ejus liber evasit: sed simul ei tradidit Virgo chartam, quæ graviora ejus scelera continebat, quæ cum extra visionem manserit, visionem non vanam probavit. Expressum jam hoc olim *4. Regum 5.* Leprosus Naaman petijt curationem ab Elisæo, sed illum remisit Propheta ad Jordanem, qui juxta *B. Hieron. ad Fabiolam S. Virginem* significat. Quis ad Noe *Ramum olive* symbolum scilicet clementiæ attulit, nisi *Columba*, id est figura S. Virginis? juxta *Bedam in 8. Genes.* Et ita est non oritur sol nisi aurora præcesserit; non prius *Gen. 28.* effundit oleum in lapidem Jacob, misericordiam scilicet in cor saxæum peccatoris, nisi conspectâ *Scalâ*, Virginis symbolo. Non prius Joseph *Genes. 48.* educitur ex carcere, quàm Pharaon *Fluvium* per quietem viderit, qui *S. Bernardo serm. 3. in Salve* denotat nostram Dominam.

Pulchrè docet *Andreas Jeros. orat: in salut. Angelica.* Quòd Virgo sit Dioptra perspectiva, per quam sedentes in Christi umbra peccatorum recipientes Solem justitiæ, mirabiliter illustrati sunt. *Richard: à S. Laur. lib. 7.* Maria lux quia rimas, & angustissima foramina sua illustratione manifestat existentibus in domo, id est etiam minima peccata suæ gratiæ infusione perceptibilia facit. *Cyroll. hom. 6 in Nestorium.* Mariâ adjutrice veniunt gentes ad penitentiam. *Salmeron. tom. 10. tract. 40* docet, quòd B. Virgo Latroni qui cum Christo pependit illam mirandam impetravit conversionem,

sionem, & affert ex quadam sermone Damiani. Latro in cruce conversus est, sed cur non ante? cur non respuit, cum Jesum in via sequebatur? tum convertitur cum Maria juxta crucem stabat, tum ex Latrone factus est Martyr, cum Maria deprecabatur pro illo. *Haecenus ille.*

Facit multum in rem praesentem, quod scripsit *Theosterictus in Canone*. Virgo est Janua penitentiae. Et quod *Chrysof. Paranesi ad Theodorum lapsum*. Maria est Janua aurea, & firma, qua de caelo propensa subducimus animas nostras, quae brevi sursum in illud fastigium retracta, eo, qui ipsam fortiter manibus servant, e vellit & rapit supra praesentis vitae omnium longe periculosissimos fluctus. Quamobrem qui mollis per indulgentiam hanc Sanctam Anchoram amittit, continuo decedit & suffocatur in profundum malitiae submersus.

Sed o Virgo abjicio me ad tuos pedes cum *S. Sophronio Patriarcha in Menais 8. Jan. ode. 3.* Me tuum in hymnis laudatorem qui indignas veniam culpas admisi, dirige ad ambulandum penitentiae vias. Ego cum *Sabbas ibid. 31. Jan.* non abscondo infelicem gravitatem ærumnarum quippe mearum, in quidquid Deus odio habet, me devenisse sentio. Carnem non minus quam animam, & in anima voluntatem praesertim, cogitationibus nefandis, pudendisque sermonibus, factisque fedavi delinquentes, item linguam meam ut reos traduxi longe deterioribus ipse commissis inquinatus. Quare o Deipara horum mihi omnium malorum emendationem largire, ut per donum tuum hoc a pessima consuetudine respiciens, supplex me ipsum prosternam; atque quod vitae reliquum fuerit in gravibus meis facinoribus deplorandis consumam.

19. Quia in mortis hora plurimos apud Judicem protegit.

Audiamus in hac re *Richard. à S. Laurent. lib. 12.* Sicut pia Mater abscondit Filium suum sub pallio, quando Pater vult verberare; sic Maria refugientes ad se & Christi justitiam formidantes. Indè fit, ut *Jdiota in prologo.* Saepè quos justitia Filij potest condemnare, Matris misericordia liberat.

Quantam indè spem concipere debemus cum *Anselmo.* O Beata fiducia, o tuum Refugium! Mater Dei est Mater nostra! Judex noster est Frater noster! quare igitur certitudine debemus sperare, & quâ consolatione timere, quorum sive salus sive damnatio, de boni Fratris, & de bonae Matris pender arbitrio.

Huic Virgini salutem suam debet *Bassus Episcopus Aniciensis de quo Petrus Dam. cap. 2. de bono suff. 22.* Ille Praesul visitata B. Virginis dictæ de Podio imagine, dum rediret domum, mortuus in via: Cadaver ex more compositum custodiebatur: sed nocte sequenti è feretro cõsurgit, ac quid de se factum refert. Nimirum ob carnis vitia, que